

BX 1749

T6
V9
1883



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

R. P. MAGISTRI
JOANNIS A SANCTO THOMA
DISPUTATIONES
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PROLOGUS R. P. FR. DIDACI RAMIREZ.

In hac materia magister non servat stylum consuetum in aliis materiis, quia illam elaboravit antequam ad universitatem Complutensem accederet; ideo nos, ut eam tradamus sicut de manu ipsius accepimus, typis illam mandamus ordine præscripto; et quamvis magister non utatur titulo disputationum nos inserimus illum, ut series disputationum connectatur cum aliis materiis totius hujus tertiæ partis; et sic sub quælibet quæstione submittemus disputationem, quæ dividetur per articulos D. Thomæ, cum litterali explanatione magistri; et sub singulis articulis succedent dubia eo modo, quo ab ipso moventur et disputantur.

QUÆSTIO LX

DE SACRAMENTIS.

ORDO DOCTRINÆ ISTIUS MATERIÆ
DE SACRAMENTIS.

I. Ea quæ de Deo incarnato in hac tertia parte S. Thomas disputavit, ita disposita sunt, et connexa, ut prius egerit sanctus doctor de his, quæ ad ipsum Verbum incarnatum in seipso spectant; deinde de his quæ ad nos pertinent, quibus seipsum nobis communicavit: *Quia enim ad hoc natus est, et ad hoc venit in mundum, ut peccatores salvos faceret*, I ad Timoth. I, peccatores autem et debi-

tores erant propter offensam, et sic pretio indigebant; et infirmi propter peccati vulnera, et sic opus erat medicina: necessarium fuit instituere aliqua media, quibus ipsa nobis redemptio applicaretur et tamquam medicina curans, et tamquam pretium satisfaciens. Et hæc media sacramenta dicuntur, quia licet communicatio Dei ad nos fiat formaliter per gratiam, quam efficimur: *Divinæ consortes naturæ*, II Petri I, et dispositive per fidem, juxta illud ad Ephes. III: *Habitare*

THEOLOGIA IX.

1

008389

Christum per fidem in cordibus nostris: et consummative per charitatem, ut ibidem subditur: *In charitate fundati et radicati*: ita etiam requiruntur exteriores quædam protestationes et symbola, quibus colatur Deus, Ecclesia visibilis coadunetur, et dignoscatur visibiliter, ipsaque sanctificatio in virtute sanguinis Christi nobis applicetur exterioribus signis ei communicando, et non solum interioribus actibus. Unde postquam S. Thomas in viginti sex primis quæstionibus tractavit de his, quæ ad mysterium ipsum pertinent, et de perfectionibus aut defectibus assumptis a Verbo, et quæ ex illis consequuntur, deinde de executione ipsa incarnationis, et Christi Domini operibus tractavit a quæstione xxvii, sive quantum ad ingressum ejus in hunc mundum, ex matre Virgine nascendo; sive quantum ad progressum in hoc mundo per conversationem suam et doctrinam et miracula, quibus: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes*, Act. x; sive quantum ad egressum ejus ex hac vita per passionem et mortem suam, qua: *Operatus est salutem in medio terræ*, Psal. lxxiii; sive quantum ad regressum ejus ad Patrem, quando: *Gloria et honore coronatus est, et constitutus super omnia opera Dei*, Psal. viii, tandem ab hac quæstione agit de sacramentis, quibus incarnati Verbi virtus et redemptio ad nos derivatur, et Ecclesiæ sanctificatio propagatur et dirigitur.

II. Et primo agit de sacramentis in communi, a quæstione lx usque ad sexagesimam sextam, deinde de unoquoque eorum in speciali. In communi duo præcipue considerantur, scilicet quid sint sacramenta, et quot sint, id est, quidditas et numerus, definitio et divisio. Quidditas autem seu essentia alicujus rei con-

sideratur per intrinseca, et per extrinseca, quia debet considerari per omnes causas suas; sic enim scientificè tractatur de aliqua re quando per causas suas cognoscitur. Ex quatuor autem causis duæ sunt intrinsecæ, scilicet materia et forma; duæ extrinsecæ, scilicet finis et efficiens. Causas ergo intrinsecas, et quidditatem sacramenti in communi considerat S. Thomas in quæstione lx, ubi quidditatem sacramenti considerat metaphysice et physice, metaphysice tribus primis articulis, ostendendo genus ejus, scilicet, quod sit in genere signi: et specificam differentiam, scilicet, quod sit signum practicum significans rem sacram prout nos sanctificat. Physice autem reliquis quinque articulis, ostendendo materiam et formam, ex quibus quasi ex intrinsecis causis componitur sacramentum. Consideratur autem dupliciter hæc physica compositio, primo, ex parte ipsarum rerum, quæ assumuntur ad constituendum signum sacramentale, quæ sunt res et verba; in quibus, quia verba magis expresse et determinate se habent ad significandum, rationem formæ sortiuntur respectu rerum, quæ minus determinatam et expressam significationem habent: secundo, sumitur compositio ex parte significationis cadentis super totum illud constitutum ex rebus et verbis: ita quod extrema hujus compositionis sunt illud constitutum ex rebus et verbis, et ipsa significatio: sicut in homine dupliciter consideramus compositionem physicam, primo, ex materia et forma, ex quibus resultat natura: secundo, ex humanitate et supposito, ex quo resultat totus homo, et sic quidditatem sacramentorum considerat sanctus doctor in hac quæstione tam metaphysice, quoad genus et differentiam, quam physice, quoad compositionem ex forma et

materia, id est, verbis et rebus, et significatione et signo.

III. Deinde, incipit inquirere de causis extrinsecis, quæ sunt duæ, finis et efficiens. Et quidem finis est duplex, scilicet finis causa, seu finis cujus gratia, et finis effectus, sicut solet dici, quod unumquodque est propter suam operationem; et utrumque finem considerat S. Thomas. Primo, finem cujus gratia in quæstione lxi, in qua agit de necessitate sacramentorum, ostendens propter quem finem sacramenta sint necessaria, id est, propter salutem humanam; non quidem ante statum peccati, sed post; tum ante Christi adventum, tum post ejus adventum: secundo considerat finem effectum, quem causant ipsa sacramenta, qui est duplex, scilicet effectus principalis, scilicet gratia sanctificans, de qua considerat quæstione lxii, quid sit gratia sacramentalis, quam sacramenta causant, et qua virtute et modo eam causent, moraliter an physice: alius est effectus minus principalis qui ordinatur non ad sanctificandum; sed ad constituendum ministros Christi sanctificantis, sive passive recipientes ejus ministeria, sive active ministrantes; et hic effectus est character, quo ipsi Christo configuramur in genere ministrandi; et per aliquot sacramenta imprimuntur, non per omnia; et de hoc effectu agit a quæstione lxiii.

IV. Explicato autem fine, tam qui est causa, quam qui est effectus, restat agere de alia causa extrinseca, scilicet efficiente; et hæc est duplex, alia principalis, scilicet instituens sacramenta, quod proprie pertinet ad illum, qui est caput gratiæ, et Ecclesiæ, et sic Christus est causa sacramentorum: alia ministerialis, scilicet per quos sacramenta nobis ministrantur: et utraque causa agit quantum ad potestatem in

Christo; quantum ad ministerium et intentionem ac fidem, in ministris: et sic remanet explicata quidditas, seu quidquid pertinet ad naturam et essentiam sacramentorum per omnes suas quatuor causas et effectus, sive per intrinseca et extrinseca. Restat deinde agere de divisione sacramentorum, et eorum numero et sufficientia, quæ sunt septem: et de eorum inter se comparisone et ordine: et hoc agit quæstione lxv. Et sic manet explicata tota materia de sacramentis in genere, tam quoad diffinitionem, quam quoad divisionem. Nam a quæstione lxvi, incipit in speciali agere de baptismo, et reliquis sacramentis.

DISPUTATIO XXII.

DE QUIDDITATE, ET ESSENTIA SACRAMENTORUM.

ARTICULUS I.

Utrum sacramentum sit in genere signi?

I. Prima conclusio: Nomen sacramentum est analogum analogia attributionis ad plura, quæ dicunt habitudinem ad sanctitatem: in corpore et ad tertium.

Secunda conclusio: Sacramentum ut in præsentia accipitur, est in genere signi: etiam in corpore.

Tertia conclusio: Ratio causæ non est prædicatum commune omnibus sacramentis: ad primum.

II. In hoc primo articulo incipit S. Thomas tractare de quidditate et essentia sacramentorum, a partibus

diffinitionis. Primo, a genere, scilicet a ratione signi, quæ est ratio quasi generica illorum. Ad hoc autem explicandum exponit significationem hujus termini sacramentum, scilicet, quod est nomen analogum, tam in corpore, quam in solutione ad tertium. Et de hoc est

III. Prima conclusio: Quæ non aliter probatur, quam explicando analogiam hujus termini sacramentum, quæ non est proportionis, sed attributionis; et ejus natura, seu essentia explicatur in diffinitione communi, ab omnibus recepta, scilicet: Quorum nomen est commune, ratio autem per nomen significata intrinsece est in uno analogato, in aliis vero extrinsece. Exemplum hujus adducit D. Thomas in corpore: « Sicut, inquit, a sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum, non solum animal, quod est sanitatis subjectum; sed dicitur medicina sana, in quantum est sanitatis effectiva: dieta vero in quantum est conversativa ejusdem: et urina, in quantum est significativa ipsius. Ex hoc exemplo sic intulit ad intentum: « Sic igitur sacramentum potest aliquid dici, quod habet aliquam sanctitatem occultam, vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causæ, vel signi, vel secundum quæcumque aliam habitudinem. » Hæc D. Thomas. Unde patet, quod hoc nomen sacramentum, est analogum attributionis, sicut ly sanum, quia potest denominare aliqua, quæ solum habeant habitudinem vel ordinem causæ, vel signi ad sanctitatem; et sic intulit D. Thomas ad tertium, quod non erat æquivocum, sed analogum. Per quod manet conclusio probata quæ est præambula ad sequentem, quia significatio nominis prius prælibari debuit, ut quæstio de re significata clarius procedat.

IV. Secunda conclusio est respon-

siva titulo articuli, et in ea intendit D. Thomas dicere quomodo sacramentum, ut specialiter nunc loquimur de sacramentis, sit signum; et hoc S. Thomas ostendit ex allata communi ratione analogorum attributionis, quia non repugnat ea, quæ ordinem dicunt ad aliquid unum, denominari ab eo, plura autem dicunt ordinem ad sacramentum; nam non solum dicitur id, quod est sacrum secretum, et habet in se sanctitatem occultam, sed quod habet habitudinem ad hanc sanctitatem, sive causæ, sive signi, vel consultationis, aut aliquid aliud; ergo ab illo nominari possunt sacramentum omnia ista, si omnibus illis idem nomen imponatur; ergo invenitur sacramentum quod sit signum sanctitatis occultæ, quæ ratio efficaciter probat dari aliquod signum, quod denominetur sacramentum, et consequenter quod aliquid denominatum sacramentum, sit in genere signi. Nec enim assignandum est genus in sacramento ex vi nominis sacramenti, quod analogum est; sed ex particulari ratione cujuscumque analogati, quod sacramentum nominatur, secundum quam in determinato genere constituitur. Et cum unum ex his, quæ nominantur aut denominantur sacramentum, sit signum, sacramentum constituitur in genere signi.

V. Unde colliges (quod ad majorem servit explicationem) quod titulus articuli non intelligitur de ly sacramentum, in suppositione indefinita, sed determinata, in hoc sensu, utrum aliquid ex his quæ denominantur aut nominantur sacramentum, sit in genere signi. Et ita ly sacramentum in titulo, nec supponit pro sacramento novæ aut veteris legis, nec pro sacramento analogo in communi indefinite; sed pro sacramento analogo in suppositione determinata, id est, an aliquod

ex analogatis de ly sacramentum, sit in genere signi. Unde non probavit S. Thomas nostra sacramenta aut antiqua esse in genere signi; hoc enim probari non debet, sed supponi, quia prædicata quiddativa non possunt demonstrari de subjecto ex propriis alicujus scientiæ, ut dicitur 1 posteriorum; sed probavit inter analogata de ly sacramentum, dari seu reperiri aliquid quod sit in genere signi, et hoc pertinet ad quæstionem an est. Ad probandum autem aliquid esse, ut S. Thomas dicit 1 p. quæst. 11 ad secundum, medium quod assumitur, est quid nomen significet, seu quid nominis, non autem quod quid; et sic D. Thomas ex quid nominis, ostendit dari sacramentum in genere signi; unde optima est ejus ratio, et ex propriis procedens.

VI. Tertia conclusio S. Thomæ, quam ponit solutione ad primum, explicanda est ex differentia quæ versatur inter analogata, quæ denominantur ab uno primo efficiente, et quæ denominantur ab uno primo in genere causæ formalis aut finalis; etenim supponendum id quod Cajetanus et logici communiter dicunt de analogia attributionis, quod illa circuit omnia quatuor genera causarum; et aliqua denominantur ab aliquo uno, quod se habet in genere causæ formalis; alia ab uno quod se habet in genere causæ efficientis aut finalis, etc. Est tamen differentia, quod ea quæ denominantur ab uno principali, quod se habet in genere causæ formalis, non possunt ex vi talis denominationis importare rationem causæ, quia causalitas formalis solum convenit formæ ipsi informanti; alteri vero quod non sit forma, communicari non potest. Unde ea quæ dicunt habitudinem ad id quod se habet ut forma, non possunt ex vi hujus denominationis participare

rationem causæ formalis, nisi forte denominetur aliquid ab eo, quod est forma extrinseca, seu quasi exemplaris, quia ab isto fieri potest denominatio. Nos autem loquimur de eo quod denominatur ab aliquo principali, ut a forma intrinseca, sicut est sanctitas. Et simile est de causa finali, quia id quod est finis, tamquam ultimum et finalizans, non potest alteri communicari, quod ultimum non sit. At vero ea quæ denominantur ab uno primo, quod se habet in genere causæ efficientis, possunt participare ab eo rationem causæ efficientis, quia hæc communicabilis est, ut patet in instrumentis et adjuvantibus, quæ omnia induunt rationem causæ efficientis.

VII. Unde si in ipso nomine principalis et primi, a quo alia denominantur, importetur ipse ordo et ratio efficientiæ, quæcumque communicant in tali nomine, et denominantur ab illo, oportet quod ordinem efficientiæ induant et importent. Et ita, quia medicina significat aliquid habens ordinem efficientiæ ad sanitatem, quæcumque denominantur a medicina, ut medicamentum, medicinalia, etc. oportet quod causalitatem dicant, et in genere causæ ponantur in ordine ad sanitatem ex vi talis denominationis. Quia vero sanctitas secreta seu occulta, non dicit aliquid secundum ordinem efficientiæ, sed formalis aut finalis causalitatis, ideo ex vi denominationis a tali re non debet importari ratio causalitatis in analogatis, sed poterit in ratione signi aut alterius rationis se habere: et si in rationem causæ importet, non erit ex vi denominationis ab illo principali analogato, sed quia ex se ordinem dicit ad illud in genere causæ, sicut aliud in genere signi. Et interpretatio ista ex verbis ipsis S. Thomæ elicitur, dicentis:

« Quod quia medicina se habet ut causa effectiva sanitatis ; ideo omnia denominata a medicina, dicuntur in ordine ad primum agens, et important causalitatem, » ubi ratio importandi causalitatem, ad denominationem ab illo primo efficiendi deducitur. Quia vero sanctitas, a qua sacramentum denominatur, non significatur per modum causæ efficientis, sed formalis aut finalis : « Ideo non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem, » quasi dicat, quod id non habet ex tali denominatione ; si autem importat causalitatem, id erit quasi materialiter, et per accidens.

VIII. Hæc sunt quæ explicanda occurrunt circa litteram S. Thomæ : et quantum attinet ad primam conclusionem, satis videtur explicata, et fundata secundum rationem a D. Thoma allatam : deinceps oportet alias conclusiones explicare, circa ea quæ in hoc articulo controverti possunt.

DUBIUM PRIMUM.

UTRUM SECUNDA CONCLUSIO : QUOD SACRAMENTUM SIT IN GENERE SIGNI, SIT VERA.

Conclusio est affirmativa.

IX. Notandum quod in duplici sensu potest conclusio S. Thomæ intelligi : primo sic, quod cum sacramentum sit quoddam analogum attributionis, unum ex analogatis in eo contentis sit in genere signi. Et sic intelligitur a D. Thoma, dum ostendit sacramentum dici, non solum de eo quod est sacrum secretum, sed etiam de eo quod habitudinem habet ad tale sacrum secretum, sive in genere causæ, sive in genere signi : alio modo potest intelligi conclusio sic, quod tale sa-

cramentum (scilicet de quo in præsententi loquimur) habet pro genere rationem signi : et sic etiam intenditur a D. Thoma, ut patet in ultimis verbis articuli : et sumitur conclusio ex communi patrum consensu, appellantium sacramenta signa : præsertim S. Dionysii cap. 1 de Ecclesiastica hierarchia, et capite v Augustini loco citato a D. Thoma in argumento Sed contra, et xix contra Faustum, cap. xvi, et epistola v, et pluribus aliis in locis. Sumitur etiam ex Concilio Tridentino sess. vii, canone vi, ubi definitur : « Sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant : et non esse solum externa signa et notas quibus fideles ab infidelibus discernuntur. » Et in sacra Scriptura, circumcisio, quæ sacramentum antiquæ legis fuit, vocatur sæpe signum, ut Genes. xvii, et Rom. iv. Auctoritates quidem istæ convincunt sacramenta esse signa : sed quod signum sit genus sacramenti, disputationi relinquitur, præsertim, quia auctoritates prædictæ sanctorum et Concilii, præcipue loquuntur de sacramentis novæ legis, quæ certum est esse signa, cum constant rebus et verbis, ubi verba rationem formæ obtinent, quod esse non posset, nisi sacramenta nostra essent signa.

X. Nihilominus de sacramento in communi, sive antiquæ sive novæ legis loquendo, certa est conclusio posita, quod sint in genere signi. Et probatur hoc fundamento, nam de ratione essentiali et intrinseca sacramenti est, quod sit aliquid externum, et sensibile, dicens ordinem ad rem sacram ; sed non potest per se et essentialiter petere quod sit res sensibilis et externa, nisi sit signum rei sacræ : ergo per se essentielle est sacramento quod sit signum. Major patet, quia sacramentum essentialiter dicit, quod sit

cæremonia exterior, et protestatio religionis humano modo facta, quod fieri non posset nisi sensibiliter, quia hæc est hominum natura, ut sensibilibus et externis cæremoniis utatur in suæ religionis protestatione, et cæremoniis et congregatione multorum eandem fidem protestantium. Hoc enim fieri non potest, nisi aliquo externo et sensibili signo, et ad hoc sacramenta deserviunt. Minor probatur, nam si sacramentum esset in genere causæ respectu rei sacræ, seu sanctificationis nostræ, non per se peteret esse aliquid sensibile, cum causa sanctificationis nostræ si sit principalis, spiritualis sit ; si instrumentalis, æque bene corporea ac spiritualis esse potest : ergo non quia causa est sanctificationis postulat esse quid sensibile, sed quia est signum : nec enim aliam habitudinem ad sanctitatem occultam dicere potest, nisi causæ, aut signi. Et præterea, quia de ratione sacramenti est quod sit externum protestativum religionis et fidei : ergo debet esse signum quo unum ab alio discernatur. Rursus, si essentialiter ei convenit esse signum, non potest competere tamquam differentia, cum in hac ratione signi conveniant alia multa, quæ non sunt sacramenta, ut sacrificia ; signa speculativa rerum sacrarum, ut imagines, etc. ergo debet esse ratio signi ratio generica respectu sacramentorum. Itaque cum sacramentum non constituitur in ratione externi ac visibilis, nisi ut signum est, secundum rationem autem causativi potius sit quid occultum (si quidem in his divina virtus secretius operatur) fit ut ex his duobus, quæ in ratione sacramenti possunt concurrere (scilicet ratio signi et ratio causæ) illa sit essentialis et generica ratio sacramenti ut sic, secundum quod sacramentum nominat quid externum

ac sensibile : et ita in ratione essentiali sacramenti humano modo dati et visibilis, includitur ratio signi ; imo cætera quæ sacramento conveniunt sacramentaliter, nisi ut per significationem manifesta fiunt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Primum argumentum apud magistrum Nugno potest solvi primo dicendo, quod S. Thomas tractat hic etiam de sacramentis ut sunt causæ : non quia hoc sit genericum seu genus sacramenti, sed ratio valde specialis, utpote solis sacramentis novæ legis conveniens : esse autem signum est omnibus commune : unde non convenit eis causare ex eo quod sacramentum, sed quia novæ legis sunt, seu continuantur cum passione Christi, et ab ea derivantur. Secundo dicitur, quod tractat hic de sacramentis ut sunt causa, non absolute et pure, sed ut sunt causæ subordinatæ rationi signi : causant enim quod significant : et ita ratio signi est principalior et generica. Tertio, solutione magistri Nugno, quod causare convenit sacramentis ratione materiæ : significare vero ratione formæ. Quod non est accipiendum, quasi causare in sacramentis novæ legis sit materiale et secundarium, aut non sequatur rationem significandi, si quidem causant quod significant, sed quia id quod assumitur a Deo ad causandam gratiam, est illud sensibile externum, quod est substractum significationis ad placitum, non autem ipsa significatio, seu id quod significationis est causa, sed res sensibilis elevata a Deo, et hoc est materiale in sacramento, id autem quod formale est, et quod rem sensibilem sacramentum constituit, est signum ; postea vero sacramento